

Q. K. 419, 17.

X 187 6338

Q. F. F. F. S.



Infelix Puerpera
JOHANNES VIII.
PONTIFEX.

DISSERTATIONE HISTORICA
CONSENSU SUPERIORUM

In Electorali Wittebergensi Academia

PRÆSIDE

VIRO

PRÆ-CELLENTE atq; CLARISSIMO

DN. M. JOHANNES Lehmann/

Facult. Philosoph. Adjuncto,

Publico sistitur Conflictui

LUDOVICO DANIELE Heymbürger/


Qvedlinburgo Saxone.

Ad d. XVII. Jul. Anno Chr. cl^o l^oc LXIX.

In Auditorio Majori, horis consuetis.



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



eu

it



1721

1721

JOHANNES VIII.
FELIX PUEBLES

CONSTITUTIO

DISTRICTIONE HISTORICA

CONSENSU SUPERIORUM

IN SENATU ELECTORALI

PRÆSIDI

1721

PRÆCELLENTE

DI. JOHANNES FELIX PUEBLES

Mag. Joh. Friedrich Adolph

Mag. Joh. Friedrich Adolph

LUDWIG D. NIELSEN

Mag. Joh. Friedrich Adolph

Mag. Joh. Friedrich Adolph

Mag. Joh. Friedrich Adolph

Mag. Joh. Friedrich Adolph

Mag. Joh. Friedrich Adolph

Mag. Joh. Friedrich Adolph

Mag. Joh. Friedrich Adolph

Mag. Joh. Friedrich Adolph





I. N. I. M. N. M. A.

Proœmium.

ROMAM à verâ fide jam diu defecisse, atq; ex castâ Virgine, turpem Meretricem factam esse, nemo Veteris Historiæ vel mediocriter peritus ignorare potest. Quamquam enim prioribus tribus à Christo nato seculis, ut illibata puella, sat piè vixerit, omnesq; errorum & Persecutionum Nebulas, stupenda fide gloriosè superarit; iis tamen discussis, cum Benignitate Imperatorum, velut liquidiore Cœlo evocaretur, accrescentibus opibus, Sanctitate paulatim decrescere cœpit, donec tandem omnes Verecundiæ fines egressa, in matrem omnis fornicationis degenerârit. Inter innumeros verò illos, Ecclesiam hanc qui deformarunt, quam maximè PONTIFICES eminent, quorum plurimorum vitæ, utut luculenter satis, velut in speculo, purpuratam illam in templo DEI sedentem meretricem Babyloniam, nobis præbeant intuendam, nemo tamen Scorti illius magni Apocalyptici, nativam indolem expressius repræsentavit, quàm celebris illa Romana sacerdos & Puerpera JOHANNA, quæ sexu virili mentito, atq; JOHANNIS octavi nomine assumpto, ad Papatum evecta, & ex scortatione postmodum imprægnata, Romæ, in publica viâ (ne quid Sedi illi ad famosæ meretricis encomium deesset) obortis de repente (non sine singulari DEI, turpiter occulta in apricum producentis Providentia) partûs doloribus, puerum, (quid? Patrem Patrum) peperit, atq; solennem quam vocant Processionem non modo infecit, sed & toti mundo deridendam se propinavit. Quæ Papalis Puerperii Historia, cum jugulum petat ipsi Hierarchiæ Pontificiæ PRÆSULI, quo capite & fundamento læso, structura totius ædificii aliàs corrui, dici non potest, quàm impuden-

A 2

den-

1217
denter hinc corrasis undiq; Argumentis, à Paparum manci-
piis, præprimis Lojolicæ sectæ Monachis, hodiè oppugne-
tur; operæ igitur pretium facturos nos existimamus, intole-
randæ arrogantia huic si resistamus, atq; à technis & dolis
Pontificiorum, JOHANNEM hujus Nominis Octavum
PAPAM MULIEREM vindicemus. Quod ut feliciter suc-
cedat, Juva ô bone JESU!

SECTIO I.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ

§. I.

FÆMINAM, circa medium Noni seculi, inter LEONEM IV.
& BENEDICTUM III. Romanos Pontifices, ad clavum
navis Petrinæ, mediam ultra biennium sedisse, ex ipsis Pontifi-
ciis vetustissimi qviq; Scriptores, ab octingentis plus minus An-
nis constanter referunt, tanto consensu, ut ante Reformationis
à B. *Luthero* susceptæ tempus, nec ullus repertus, qvi Historiam
hanc omnium, ore divulgatam, de JOANNA PAPISSA, virilem se-
xum mentita, pudendoq; partu mortuâ, in suspicionem falsi vo-
carit. Testimonio igitur ab amicis invitis expresso, cum in Hi-
storicis nihil præstantius esse possit [ubi omnium optimum &
firmissimum probandi Genus censetur, qvo ab adversariis &
inimicis veritatis veritas probatur,] proinde ne quis in odium
Romanæ sedis confictum id esse putet, Testes non inimicos, (qvi-
bus detrahentibus nec nos credimus) sed Viros ex ipsius Roma-
næ Ecclesiæ sinu prodeuntes, ad Historiæ hujus veritatem obti-
nendam, hic unicè producemus.

§. II. Inter antiquissimos autem Pontificatûs hujus asser-
tores, quanquam ANASTASIUS, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius,
JOANNÆ Coævus, (in MS Ctis quibusdam antiquissimis,
infra adducendis, Johannam hanc describens) de jure primum lo-
cum sibi vendicet; quia tamen recentiores falsariâ manu interpo-
lati Codices, eam silentio involvunt, hujus vices supplere poterit,
RANULPHUS, *Flaviacensis* Ordinis Benedictini Monachus, qvi se-
culo X. adeoq; 70. tantum annis post illa tempora, quibus res hæc
contigit ipso *Bellarmino*, nec non *Tribemio*, *Onuphrio* & *Genebrar-*
do testibus, floruit: & papale hoc puerperium, in *Polychron. L. 5.*
c. 32. attingens, vivis colorib9 id adumbravit. Quo de testimonio,

Confer-

1218.

Conferri poterunt, *Centuriatores Magdeburgenses*, Cent. IX, C. XI. p. 332. it. Cent. X. p. 501. seq.

§. II. *Ranulphum*, Seculo sequente XI. inter alios excepit *MARIANUS, Scotus*, Monachus qui in Fuldensi Cœnobio, ubi nostra antequam ad Ecclesiæ Romanæ gubernacula eveheretur, aliquot annis vixisse dicitur, educatus, & non sine opinione sanctitatis sepultus fuit, hisce paucis nostram comprobans verbis (g)

Anno Domini 854. Anno Lotharii XIV. successit Leoni, JOANNA mulier, annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. Hunc deinde Se-

culo XII. secuti sunt præ aliis, *SIGEBERTUS*, Gemblacensis Cœnobita, *cujus in Chron. ad Annū 854. Lutetia A. 1513. edito, hæc sunt*

verba: Fama est, hunc Johannem Fœmiam fuisse, & uni soli familiari cognitam, qui eam complexus est, & gravis facta peperit Papa existens.

QVARE EAM INTER PONTIFICES NON NUMERANT QUIDAM IDEO NOMINIS NUMERUM NON FACIT. Sic eodem seculo idem retulerunt, *RICHARDUS, Monachus Cluniacensis, in Scr. Rom. Pontiff. OTTO Frisingensis Episcopus L. 7. Chronic. c. 38. GALFRIDUS Arthurus, Asaphensis Ecclesiæ præsul, in Histor. Britann. GODEFRIDUS Viterbiensis, Cesareæ aule capellanus, in Chron. part. 2. Catal. Rom. Pontif.*

§. IV. Post hos seculo XIII. cum *JOANNE Parisiensi, Dominicano, in L. de potestate Regiâ. BERNARDO GUIDONE, Lubetensis Ecclesiæ Episcopo, in Chron. MARTINUS POLONUS, Nicolai III. Papa Pœnitentiarius, & dein Archi-Episcopus Conlentinus (quem Platina invit. VI. Virum magnæ Doctrinæ singularisq; vitæ, vocat) qui in Chron. ad An. 855. his luculentis verbis, impudicam mulierculam describit: Johannes Anglicus, natione moguntinus, sedet annis duobus mensibus quinque. Hic ut asseritur fœmina fuit, & cum puellari ætate à quodam amasio suo, in habitu virili Athenas ducta fuisset, in diversis scientiis ita profecit, ut nullus ei par inveniretur: adeo ut post, Romæ trivium legens magnos Magistros & Discipulos haberet. Et cum in urbe vita & Scientia magna opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per familiarem suum impregnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro*

1219
in Lateranum tenderet, angustiata inter Colosseum & S. Clementis
Ecclesiam peperit, & postea mortua ibidem ut dicitur sepulta fuit. Et
propterea quod Dominus Papa semper eandem viam obliquat, credi-
tur omnino à quibusdã, quod ob detestationem facti hoc faciat. Nec
ideo in Catalogo Sanctorum Pontificum ponitur, tam pro-
pter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti.

§. V. Idem posthunc ipsum, Seculo XIV. & XV. magno
numero tradidẽre *Guilhelmus Occam*, *Minorita*, *Nominalium*
Princeps, cap. 124. op. XC. dierum, *Franciscus Petrarca*, *Ecclesiæ*
Patavinæ Canonieus, in *Chron. de Pont. & Imp.* *Joannes Boc-*
tius, in *L. de Clar. mulier c. 99.* *Theodoricus à Niem*, qui Pon-
tificibus aliquando à Secretis fuit, *Lib. de Privil. & Jurib. Imp.*
Antoninus, *ArchiEpiscopus Florentinus*, in *Chron. part. 2. Tit.*
16. c. 1. 6. 7. *Matthæus Palmerius*, præstantissimis viris à *Trithemio*
annumeratus, in *Chronic. ad An. 853.* item *Laonicus Chalco-*
condylas Atheniensis in *L. de Rebus Turcic.* nec non *Barlaam Ca-*
laber, *Hieracensis Ecclesiæ præsul*, in *Dial. de primatu Papæ*, ambo
Scriptores Græci: Sic *Rodericus Sanchez*, primùm *Zamoren-*
sis post Palentinus Episcopus, in *Hist. Hisp.* *Guilhelmus Brevinus*,
in *L. de septem principal. Eccles. urbis Romæ*, *Baptista Fulgosus*
Nobilis, & *Reipubl. Genuensis* ab *An. 1478. ad 1483. Dux*, *L. 8.*
c. 3. dictorum memorab. *Wernerus Rolvink de Laer*, *Carthusi-*
anus, in *fasc. temp. Æt. 6. ad An. 1854.* *Joannes Nauclerus* *Præ-*
positus Tubingensis, in *volum 2. genar. 29.* *Martinus alter*, *Minorita*,
in *Chron. hujusq; coætaneus* *Jacobus Philippus Forestus Bergo-*
mas in *L. de claris mulierib.* *Hartmannus Schedel*, *Medicinæ*
Doctor, in *ser. Pontif.* Imo ipse *Platina*, *Abbreviator Apostolicus*
qui *Trithemio* vir undiquaq; doctus aliisq; Pontificum *Svetonius*
audit: *de vit. Pontif. ad papam Job. 8.* eandem *Historiam*, quam
ante se omnes affirmasse scribit, hisce confirmat verbis, quando in-
quit: *Joannes Anglicus*, *ex Moguntiaco oriundus*, *malis artibus*
Pontificatum adeptus est. *Mentitus enim sexum, cum fœmina esset,*
adolescens admodum, Athenas cum amatore viro docto proficiscitur:
sibiq; præceptores bonarum artium audiendo tantum profecit, ut Ro-
mam veniens, paucos admodum, etiam in sacris literis pares haberet,
ne dum superiores. *Legendo autem & disputando doctè & acute, tan-*
sium

1220
iūm benevolentia & auctoritatis sibi comparavit, ut mortuo Leone,
in ejus locum omnium Consensu Pontifex crearetur. Verum postea
à seruo compressa, cum aliquandiu occultè ventrem tulisset, tandem
dum ad Lateranensem Basilicam proficisceretur, inter theatrum
(quod Colossenum vocant, à Neronis Colosso) & sanctum Clementem,
doloribus circumventa peperit: eòq; loci mortua, Pontificatus sui
anno secundo, mense uno, diebus quatuor, sine ullo honore sepelitur.
Ad hæc tempora referenda sunt, quæ in Chronico Germanico,
Augustæ Vindelicorum, Anno 1478. excuso habentur, nec
non illud Chronicon, quod Constantiæ, helvetico idiomate con-
scriptum, MONSTROSAM PONTIFICULAM monstrôsè ita describit:
**Ein Weib hieß Johannes/von Nentz/was Bapst
und starb an einem Kinde / hat sie mit einem Caro-
dinal gemacht; Nec dissimilia his & aliud ulmæ A. C. 1486. im-
pressum, his verbis refert: Der Kånser 26. was unter dem
Bapst/ der ein Frau was / und an offener Strasse
zu Rom / da zersprang sie an einem Kind. Diese
Strasse meiden noch alle Bapst/ daß sie nicht dran
kommen/von der Schand wegen.**

§. VI. Ita Seculo XVI. ante, circa & post Lutheri tempo-
ra, idem asseruerunt, RAPHAEL VOLATERRANUS in *Anthropol.* L. 22.
p. 305. edit. Basil. JOAN. STELLA, Sacerdos Venetus *L. de vitis Pontif.*
Joannes LUCIDUS in *Chronico*, Christianus MASSÆUS, Presbyter Or-
dinis Hieronymiani, in *Chron.* Albertus KRANTZIUS, Decanus Ham-
burgensis, in *Metropol.* L. 2. Joan. Bapt. MANTUANUS, *Carmelita-
rum Generalis*, Tom. 3. L. 3. *Alphons.* fol. 44. Francof. ad An. 1573.
notanter in super Prostitulum nostrum pontificium, in inferni ve-
stibulo, collocans, quando canit:

Hic pendeat adhuc sexum mentita virilem
Fœmina, cui triplici phrygiam diademate mitram
Extollebat apex & pontificalis adulter.

Accinit huic Ursinus VELIUS, in *Monasticis Summorum Pontifi-
cum* hoc versu:

Fœ:

1221
Fœmina mentito potitur diademate sexu.

Nec dissonantia his, *Johannes PANNONIUS*, Episcopus Quinquee-
clesiensis, qui circa A.C. 1500. floruit, simili lusu poetico profert,
dum inquit:

Fœmina Petre tua quondam ausa sedere Cathedra,

Orbi terrarum jura ferenda dedit;

Hæc, compressa quidem multos latuisset in annos;

Facta foret partu ni manifesta novo;

Posthac Roma diu simili sibi cavit ab astu,

Pontificum arcanos quærere sveta sinus;

Nec poterat quisquam, referantes æthera claves,

Non exploratis sumere testiculis;

§. VII. Mantuani tempora attigerunt, *Johannes TRITHEMIUS*,
Spanhemensis Abbas, in *Chronic. Monast. Hirsaug. vit. Luitprand.*
Joannes LAZIARDUS in *Epit. Hist. c. 3.* *Joannes NEVIZANUS Astensis* in
Sylv. Nupt. L. 4. *Huldricus HÜTTENUS*, in *Epit. Hist. univ. c. 3.* *Lu-*
dov. Calius RHODIGINUS in *Antiqu. Lect. l. 14. c. 1.* *Henricus Cornel.*
AGRIPPA de Netesheim, de vanit. Scient. c. 62. qui similiter omnes
JOANNAM Papam, meretricem adstruxere; quos secuti, *Johan. Ra-*
vistus TEXTOR, in *Officin. L. 2. c. 21.* *GASSARUS* in *Epit. Histor. Petrus*
MEXIAS in *divers. lect. part. 1. c. 9.* *Marcus GVAZZUS* in *Chron. Alphon-*
sus à CASTRO Minorita L. 2. de just. hæred. punit. *Dominicus à SOTO*,
Caroli V. Imp. Confessor, qui in Concilio Tridentino, Domini-
canorum Generalem representavit, in 4. *Dist. 15. q. 1. art. 2.* *Barthol.*
Caranza, Dominicanus, ac tandem Ecclesiæ Toletanæ ArchiEpi-
scopus, in *Summ. Concil. Richardus Wasseburgius*, Ecclesiæ Virdu-
nensis ArchiDiaconus, in *Antiq. Belg. L. 3.* *Johannes Tarcagnota*, in
Chron. Nicolaus Dolionus, in *Comp. Hist. Claudius Falsetus* in
Antiq. L. 9. cap. 56. *Steph. Paschasius*, in *Disquis. Francicis*, *Joan.*
Marcouville de vituper. & laud. fœm. Aliique plusquam trecenti
Scriptores Pontificii, quorum Catalogum hic texere, Chartæ
angustia jam non permittit; Quibus si Protestantes, hoc est,
castra Pontificum egressos Scriptores, annecteremus, nullus
sanè eorum, Prostibuli hujus, qui meminerunt, esset numerus.

Quam-

§. IIX. Quamobrem uti verisimile non est, tot
& tantos Viros, sine accurata, quantum fieri potuit, in
ardua ejusmodi toti Ecclesiæ probrosa re veritatis in-
quisitione, muliebrem hunc Pontificatum, ex incertis
rumoribus adstruxisse vel chartis consignasse: multo-
minus ex odio in apostolicam sedem, cui addictissimi
fuerunt, malevolè confinxisse; ita certo certius est, Rem
tanti momenti, à tot seculorum Scriptoribus (ipsis
Pontificibus propinquis & cognatis, maxima ex parte
Italis, imò plerisq; Sacerdotibus, Monachis & Episco-
pis, aut alioquin Romanæ Ecclesiæ juratis & obligatis,)
nemine contradicente, asertam: fidem mereri plenam
& avtheticam.

§. IX. Autoritate igitur tot Seculorum gravissimorum
Historicorum, JOHANNAM meretricem in Throno Apostolico
sedisse, postquam probatum dedimus, ad alia indubitata monu-
menta & signa progredimur, quorum primò se offert, FAMOSA
STATUA, quam in perpetuam facti detestationem, Prostibulo
huic una cum puero, illâ ipsâ plateâ, ubi peperit, Romæ ere-
ctam fuisse, præter *Theodericum de Niem* supra citatum, & S. AN-
TONINUS, in secundâ part. historialis sui testatur, dum inquit:
*Et quoddam signum sculpturæ marmoreæ in via,
ubi hoc contigit, ob rei memoriam positum dicitur.*
Idem & NAUCLERUS aserit: *Est quoddam signum scul-
pturæ marmoreæ in viâ ubi parturit, ob hujus rei
memoriam.* Suffragatur his cum innumeris aliis *Stephanus
Blanck Passavianus*, ad Alexandrum Sextum Papam, de Romæ Urbis
mirabilibus: *Itur ad parvulum Sacellum inter Colof-
seum & S. Clementem, illic collapsum situm est tem-
plum, in quo moriebatur fœmina, quæ Papa fue-
rat,*

B

rat,

1203
rat, illa parturiebat infantē; & post pauca pergit: Igitur cum more Papalium, omnibus Cardinalibus Chorum ageret solennem, & plurimorum hominū stipante caterua, enixa est foetum, juxta templum: & ibi loci adhuc recumbit saxū quoddam referens sculptā ipsius & infantis ejus imaginem.

Imò ad nostra usque tempora, eo in loco visam fuisse statuam, nec ipse BELLARMINUS L. 3. de Rom. Pontif. diffiteri potest, nisi quod Gentilis nescio cujus Sacerdotis cum suo puero statuā fuisse fingat. Sed de hoc, si Roma benè sibi conscia fuit, ob quam causam, nunc tandem eam suppressit & abolevit? Cur Pontifex, (sive is Pius IV. sive Sixtus V. sive Clemens VIII. fuerit, opus non est, ut jam decidatur, cum in confesso sit, alterum horum id fecisse) eam everti curavit? sanè ob nullam aliam causam, quam ut infultæ illius Scrofae memoriam supprimeret.

§. X. Ad eandem præterea classem monumentorum referimus etiam IMAGINEM EJUSDEM PONTIFICULÆ, in majori templo Civitatis Senensis, inter reliquos Papas suo ordine & loco collocatam, quam similiter Clemens VIII. demum removisse, asseritur. Qvò referri possunt, PICTURÆ PARTÛS HUIUS PONTIFICII, cum Cardinalibus & Episcopis obstetricibus, passim in Bibliothecis vetustissimis prostantes. Inter hos eminet, Liber Historicus Norimbergæ An. C. 1493. cum Imaginibus Imperatorum & Pontificum excusus, quo Relationi de Johanna Papissâ, effigies foeminae pontificaliter quidem Coronatæ, sed pro trabea Pontificali, stollam muliebrem ab humeris, pro triceruciato Sceptro, infantem in in ulnis gestantis, adpressa apparet. Quid multis? confirmant idem, quamplurimi de eâ in omnibus ferè Bibliopoliis libelli, plurimi apud minutissimos etiam Institores Schedæ, plurimi in Oenopoliis ac Nundinis imagines; quin imò in ipsis Italiæ templis passim ejusmodi Icones & imagines larvatæ Pontificulæ nostræ, ita

(ita ut vel pulsiones etiam eam indigitarint) visas fuisse, satis com-
pertum habemus.

§. XI. Porro eandem de PAPA-MULIERE Tragædiam, confirmant quoque SCRUPULOSA PONTIFICUM IN PROCESSIONIBUS obeundis, ejusdem Sceleris conscia Plateæ, per ambages DECLINATIO, cujus præter Antoninum & Nauclerum aliosque mentionem fecerunt Martinus Polonus, dum supra allegato loco post narrationem puerperii papalis hæc subjungit: *Et propterea, quod Dominus Papa semper eandem viam obliquat, creditur omnino à quibusdam quod ob detestationem facti hoc faciat.* Eandem rationem declinatae vitæ & Bocatius c. l. suppeditat, Relationem de JOHANNA hisce verbis concludens: *Ad cuius detestandam spurcitiem & nominis continuandam memoriam, in bodiernum usque diem summi Pontifices, Rogationum cum Clero & Populo sacrum agentes, eum locum partus medio ejus itinere positum abominantur, eoque omisso declinant per diverticula vicosque, & sic loco detestabili posttergato reintrantes, iter perficiunt, quod cœpere.* Imò ipse PLATINA, Pontificum Svetonius, ut in aliis circumstantiis recensendis timidus sit, hoc tamen non abnu-
it, Pontificem n. p. quando ad Latheranensem Basilicam proficiscitur, *detestandi facinoris causa, viam declinare.* Et quid mirum? Si enim, inquit, ex ipsis nostris Antagonistis, papizans BLONDELLUS in *Avaxæ*. de Joanna Papissa: *ob calcatum à Tullia paternum cadaver, sceleratum dici vicum Romæ veteris, exegit dolor, cui mirum videatur, si ob violatum per inauditum antea scel-*
lus,

1227
lus, ab impurissimo prostibulo Pontificium, tantâ
clerus urbanus, indignatione exarsisse dicatur, ut
execrandum posteris, imò ne visu dignum, incredi-
bilis seculis prioribus piaculi locum duceret?

§. XII. Quammaximè verò clarum & luculentum Te-
stimonium præbet, decreta ab hoc tempore, ad virilitatem eo-
rum, qui in Papas eligebantur, explorandam, PERFORATÆ IN LATE-
RANO SELLE INSESSIO. Post hæc enim (prout Johannes Panno-
nius, Episcopus summæ apud suos authoritatis, Vir lingvæ latinæ
& Græcæ peritissimus, supra cit. l. canit:)

Non poterat quisquam referantis æthera claves

Non exploratis sumere testiculis.

Meminit autem ejusdem attrectationis genitalium, inter innume-
ros, primò *Laonicus Chalcocondylas*, Scriptor Græcus, qui, uti ini-
tio sui operis, se non nisi ea, quæ certò perspecta & exploratissi-
ma haberet, scripturum, pollicetur. Ita jam circa An. C. 1460. de
hac consuetudine, *L. 6. de Rebus Turcicis* sic locutus est:

Pontificem, inquit, *pronunciatum insidere ju-
bent, sedile foramen habens, ut testes ex eo perpen-
dentes aliquis, cui hoc muneris injunctum est, tan-
gat, quò appareat Pontificem virum esse. Nam con-
stat, mulierem quondam in Pontificatum esse subve-
tam, quia sexus ignorabatur; Nam Italiae occiden-
tales penè omnes barbas radunt. Cum autem illa
mulier gravida esset facta, & ad festum sive sacrifi-
cium prodiisset, peperit infantem, in conspectu uni-
versi populi: Quapropter ne decipiantur iterum,
sed rem cognoscant, neq; ambigant, Pontificis crea-
ti virilia tangunt, & is, qui tangit, acclamat:*
MAS

1225.

MAS NOBIS DOMINUS EST. Idem post hunc
Guilielmus BREVINUS, natione *Anglus*, circa A.C. 1470. comproba-
vit his verbis: *In capella Servatoris, sunt due vel*
plures Cathedrae, de lapide marmoreo & cupro,
cum foraminibus in iis sculptis, super quas Ca-
thedras (ut audiui ibidem) EST PROBATIO PAPÆ.
Iamò ducentis ferè annis, ante hunc ipsum, ejusdem rei mentionem
fecisse *Robertum Gallum*, quem à Lumine Prophetico, magnis aliàs
laudibus efferunt, patet ex hisce ejus verbis: *Duxit me*
spiritus ad Latheranense Palatium, & posuit
me in porticu ante Sedes Porphyrii, ubi dicitur
probari Papa, AN SIT HOMO MASCULUS.
Christianus MASSÆUS Hieronymita, qui circa Ann. 1520. floruisse
creditur, eundem ritum seqq. attingit: Anno 854. S. LEONI, 17. Jul.
defuncto, successit quædam mulier Anglica, quæ
quoniam habitu virili semper inceserat, literisq;
studiosè vacaverat, vir doctissimus putabatur; duo-
bus circiter annis sedem tenuit: Interim concepit,
& in Procesione publica peperit, ubi & mortua est:
Hinc statutum ajunt, UT DE COETERO FU-
TURI PONTIFICIS VIRILIA TANGANTUR.

Similiter *Marcus Antonius Sabellicus*, qui ultra 1506. an. vitam non
prorogavit, historiam *Papissæ Ennead. 9. L. 1.* fuse postquam descri-
pserat, hæc addit: *Spektatur adhuc in Pontificia do-*
mo, marmorea sella circa medium inanis, quâ

1276.
novus Pontifex continuo ab ejus creatione resi-
det, ut sedentis genitalia ab ultimo Diacono at-
trectentur: Ita JOHANNES STELLA in L. de vitis Summo-
rum Pontificum, Anno 1503. edito, non tantum Pontifices in de-
testationem facti viam hanc consultò declinare asserit, sed &
insuper addit: quod ad evitandos similes errores sta-
tutum fuerit, ne quis de cetero in beati Petri
collocaretur sede, priusquam per perforatam se-
dem futuri Pontificis genitalia ab ultimo Dia-
cono Cardinale attrectarentur. Gemina his & ex
Judæis R. Abraham Zachutb in L. Juchasin nec non R. David
Gans in Zemach David, commemorant: Johannem Papissam
& propter hanc institutam attrectationem Genitalium prolixè
adstruentes. Imò, circa ipsissima etiam tempora B. Lutheri, ean-
dem Contrectationem adhuc in usu fuisse, Joann. Pierius Va-
lerianus, Vir summæ æstimationis apud Italos confirmat,
quando in Oratione, ad Cardinalem Hippolytum Me-
dicens pro Sacerdotum Barbis habitâ, editâqve Romæ cum
Clementis VII. Pontificis, Privilegio, Consuetudines suorum his
perstringit verbis: Quid aliarum gentium damna culpasve com-
memoramus, cum domi opprobria conspiciantur, quæ de Barbarum
odio perpetuam supremo Sacerdotum ordini ignominiam pepererunt.
Eò enim aliquando nostrorum deliciae processerunt, ut hujus rasitatio-
nis ergo confusa quodammodo specie, difficulter Vir à femina inter-
nosceretur; Hinc accidit, ut mulier, si vera est quæ per omnium Ora-
fabula circumfertur, in sempiternum sacrosancti Ordinis oppro-
brium ad Solii Pontificis Majestatem eveberetur; in cujus facti
memoriam, Romani adhuc locum intento digito in-
dicant, ubi summa illa Sacerdos Pontificalem in-
duta

1227.
duta Trabeam, enixa peperit. Quod ne rursus
accidere possit, inde institutum plerique omnes cre-
dunt, in novi Pontificis ingressu, eam majorum no-
strorum Imprudentiam publicare. In totius enim
Populi conspectu, pro divi JOHANNIS suggestu,
qui latisimam & eo solempni sacro omnium Natio-
num gentibus confertissimam aream despectat,
cogitur novus Pontifex, virilitatem locupletis simis
testibus approbare, resque ipsa sacri praeconis voce
palam promulgata in acta mox refertur, legiti-
mumque tunc demum Pontificem habere nos arbi-
tramur, cum habere illum quod habere decet, ocu-
latâ fide fuerit attestatum.

Et hæc præterea etiam vi-
detur esse causa, cur in Papatu ad hunc ritum (quo infimus Dia-
conus Cardinalis, per sedem perforatam Pontificis noviter electi
Genitalia attrectans (Ignoscat quæso benevolus lector *παρρησιαν*
loquendi, veritas enim poscit, ut sine pudore de hac pudenda alias
pudendorum attrectatione differamus) alta voce illud notissi-
mum, HABET HABET sanctissimus Papa &c. vel etiam: *dignus est*
papatu, quia testiculos habet, exclamavit) sine dubio
respicientes, Pondera ea, per quæ Viri sunt, PONTIFICALIA,
ipsi sacrificuli facetâ Antanomahâ appellare soliti fuerunt. Huc
pertinet, Adagium quod apud Italos, ex hæc testium Pontificalium
Contrectatione, ex Petro Flandro, WOLPHIUS in *Lectio. Memorial.*
& recond. cent. 9. ad ann. 854. prognatum probat, quo scisci-
tanti, ecquid novi, in hæc verba olim fuit responsum, PAPA
è MASCHIO id est, illud demum novi ferri, quod Papa Mas sit.

§. XIII. Quibus evidentissimis veterum Testimoniis & mo-
numentis, innumeras addere possemus Conjecturas, idem infe-
rentes; sed in re satis clara ne facem soli accendere videamur,
unam vel alteram tantum hic medium in produxisse sufficiet.
Tale

1006
Tale quid est, quod *Martinus*, ex Ordine Minorum Monachus, habet, dum JOHANNAM hanc nostram, Dæmoniacum quendam adjurantem, à Diabolo in Consistorio coram omnibus hoc responsum tulisse; commemorat:

Papa Pater Patrum Papissæ pandito partum.

Et Tibi tunc edam de Corpore quando recedam.

Gemina his & *Liber Romanorum Indulgentiarum* Anno 1515. Romæ editus narrat: quando Angelum huic Papissæ uterum gestanti apparuisse, ipsiqve optionem eligendi, vel publicam coram Mundo Confusionem, vel æternam damnationem dedisse affirmat. Idem refert & *Stephanus Blank Passavianus* loc. supra cit. inqviens: *Illæ* (loquitur de Johanna) *parturiebat Infantem, & ab Angelo DEI interrogabatur, an in æternum perire mallet, vel publicè coram Mundo confundi? Sed illa ne in æternum pereundum foret, elegit opprobrium Confusionis, Igitur cum more Papali, cum omnibus Cardinalibus eorum ageret solennem, & plurimorum hominum stipante caterua, enixa est fœtum juxta templum.*

§. XIV. Præterea, JOHANNAM Fœminam nostram extitisse, confirmant & opera ipsius. Nam *Baleo* teste (quem & Magdeburgenses Centuriatores sequuntur *Cent. 9. c. 10. p. 501.*) Papissa hæc Librum de *Necromantia* scripsit; Officia & sacros ordines quamplurimis contulit; Tempa & Altaria varia consecrauit; *Lotbario* in Pruniense cœnobium recondito, *Ludovico* filio ejus Regni Sceptum & Coronam, solenni ritu contulit. Ab *Edelwolpbo*, Anglorum Rege, Tributum & pretiosa munera accepit; & inter alia statuta, *Romane Ecclesie Privilegia non nisi centum annorum præscriptione tolli posse decrevit*, qui Canon etiam citatur, in *Jure Canonico* (quod notatu dignum) Nomine JOANNIS VIII. ad Ludovicum cujus tempore Papissa sedit, scripto. Imò, quid multis? Ex ipsis Papis rei gestæ veritatem haud obscure insinuarunt, tum JOHANNES ille Papa, qui (referente *Bellarmino in Chron. nec non Ciaccon. de vitis. Pontif.*) Anno Christi 1276. pro vigesimo, non nisi vigesimus

1229.
mus primus : tum JOHANNES *Avanoniensis*, qui vigesimus
secundus : tum ultimus hujus Nominis, qui vigesimus tertius;
unicè dici voluerunt, & dicti etiam sunt, quod sane fieri non po-
tuisset, nisi Ordini suo JOHANNAM Fœminam restituisent.
Proinde Nostra de Romana Papissa assertio, cum non
modo Authoritate tot seculorum, integerrimorum
Scriptorum omnium Romanæ sedis fautorum, & Obstri-
ctorum nitatur, Sed & indubitatis monumentis eviden-
tissimisq; signis & vestigiis confirmetur, extra aleam
dubitationis nunc utiq; posita manet.

SECTIO II.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

§. XV.

Q Vanquam verò publicam hanc omnium calculo approba-
tam Historiam, de JOHANNA PAPISSA, prioribus
septem seculis, h. e. ante Reformationis, ministerio *B. Lutheri*
cœptæ tempora, nemo negarit, multominus oppugnarit; exorti
tamen nunc tandem omnino Parasiti quidã Gnathones & Advo-
cati purpuratæ meretricis impudentissimæ, qui ut suspe-
ctam nobis redderent, Historiæ hujus veritatem, omnem
suam industriam eò contulerunt. Eminent inter hos, veluti
Luna inter ignes minores, JESUITÆ, qui tanquam conducti ad
tyrannidem Pontificiæ Majestatis tuendam Parastatæ, uti stercora
quæqve Paparum condire, ita & ab hac meretricia labe, eosdem
vindicare præsumunt. Nam cum fœminam in Throno Aposto-
lico puerum peperisse, scandalosum suis etiam esse animadver-
tant, sentiantqve non modo sibi perpetuo à Nostratibus hoc
puerperium probrosum objici; sed & eo ipso immaculatam san-
ctissimi Papæ vivendi puritatem, nec non judicandi infallibilita-
tem & quod maximum, interruptam Petrinæ successionis feriem
cum tota hierarchia papali everti: extrema tentâtes, eò dementiæ
procedunt, ut Joannam Papissam, in rerum natura extitisse ne-
gent, fabulisq; & figmentis annumerent.

C

§. XVI. Inter

1230
§. XVI. Inter illos autem, qui perfrictâ fronte, nostram de
JOHANNÂ PAPISSA Historiam infringere, atq; ex septem seculorum
Possessione magno molimine deicere voluerunt, potissimi fue-
runt, *Onuphrius PANVINIUS, in Annot. ad Plat. & post hunc BA-*
RONIUS Cardinalis, in Annal. Eccles. ad Annum Christi 853. it. ad
Annum 879. RÆMUNDUS, seu potius sub hujus Senatoris Burdega-
lensis nomine latitans RICHEOMIUS Jesuita, in Error. popul. de Joan.
SERARIUS L. I. c. 42. Rer. Moguntiac. BELLARMINUS L. de Rom. Pontif.
LEO ALLATIUS, Comm. de Job. Pap. ROESTIUS, aliiq; quos Antesigna-
nos, deinceps magno numero, omnes minorum gentium Mo-
nachi, adversus nostros de AntiChristo, qui disputarunt cum
BLONDELLO, Calviniano, hac in parte papizante, sequuntur, & ver-
boten9 ut plurimū exscribant. Ut autem ὕστερον πρότερον faciamus,
princeps argumentum cum BARONIO cit. l. pleriqve à primo Au-
tore deducunt, fingentes primum fabulæ Autorem, MARIANUM
Scotum, ante quem nemo penitus fuerit inventus, portenti hujus
qui meminerit. Verum enim verò, ut taceam ANASTASIUM
Johannæ σύγχερον in MSCtis quibusdam antiquissimis, (quale
Lutetiæ in Bibliotheca regia hodiernum asservari Cl. MARESIUS, in
Refut. Prefat. Apol. Curcellæana, p. 223. ἀὐτῶπις est testis) JO-
HANNAM habere; certum est RUDOLPHUM Flaviacensem (qui
sesqui seculo ante Marianum vixit, & si non ipse JOHANNAM
vidit, ab iis tamen qui eam oculis usurparunt, accipere potuit)
eandem Historiam, ex indubitatis testimoniis quoqve recensere.
Et, licet etiam primus traditionis hujus constantis Autor, Maria-
nus fuisset, esset ne propterea, ei fides deroganda, quod rei ab ipso
narratæ nullus vetustior extet testis? nullo modo; hoc enim si
procederet, sane omnium Historicorum Authoritas vacillaret.
Nam, quis crederet Herodoto, Lydorum & Medorum Res, tot secu-
lis ante se gestas primū commemoranti? quis Justino, historias
tanto tempore ante se annotanti, assentiretur? quis nō in dubium
vocaret, portentosa Neronis scelera, à Svetonio primū narrata;
Imò Philosopho ethnico, quis perfvadere posset, ut fide humana
saltem Mosi universale diluvium, Pœnas Sodomitarum, Incestum
Lothi

124

Lothi etc. recensenti, credat? Quapropter etsi Papissæ hujus Sa-
cerdotium, Seculo illo, quod BARONIUS alias ipse, cit. loc. ad
An. 900. ob inopiam Scriptorum, Seculum obscurum appellat,
scriptis publicis ante *Marianum* adeo celebratum non fuerit, suf-
ficit, famâ publicâ & constanti Traditione, per omnium ora id
divulgatum fuisse, ipsumq; *Marianum* ex indubitatis testimoniis
compertum habuisse; cum verisimile non sit, tantum *Theolo-*
gum, omni Doctrina genere clarum, Philosophum insignem, Poë-
tam gravem, Historicum celeberrimum, qui imprimis Historiam
Universalem diligenter scripserit, (qualis à TRITHEMIO, L.
de script. Eccles. EISENGREINIO, in Catal. Test. verit. BEL-
LARMINO de script. Eccles. & aliis describitur) Rem tanti
momenti, ante se à nemine, (*ut volunt*) scriptam, sine indubitata
fidei monumentis & Seniorum Relationibus, chartæ consignasse.

§. XVII. Sed excipit BARONIUS in Annal. ad An. C. 853. *Maria-*
num, eo tempore scripsisse, quo *Henricus III.* Imperator schismate
cum suis ab Ecclesia Catholica defecisset. Verū quicquid de eo sit,
numne propterea muneris, quod historicū decet, immemor fuisse
putandus erit? Nam, cum *Gregorii* potius, quàm *Cæsar* partes
tutaretur, Schismaticorum (quos vocat) fidem, procul dubio
non est secutus; ex historia enim ipsius abunde constat, quod Se-
dis Romanæ Reverentia deceptus, de *Gregorio* aliàs monstruo
Pontifice, sat honorificè scripsit. Instat hic cum *Baronio*,
BELLARMINUS L. de Rom. Pontif. c. 24. eodem tempore jam
de fœmina in Patriarchatum *Constantinopolitanum* evectâ, Ser-
monem percrebuisse, adeoq; ea quæ de sede Constantinopolitana
fama vulgarit, ex odio malevolorum, in Romanam Ecclesiam ef-
se conversa. Verum ut raceam, neminem ad hanc usq; diem,
publicam illam famam asseverasse, præter *Leonem IX.* in Epist.
quadam ad *Michaëlem* Patriarcham scriptâ, quilibet videt quàm
elumbis hæc sit conjectura. Quis enim sibi persuadebit, ex odio,
Traditionem profectam esse, quàm Sedis Romanæ addictissimi
literarum monumentis consignarunt? quis eredet, Pontifices
tàm pudendam in se Conversionem inultam reliquisse? quis sibi
imaginabitur, omnes Paparum fideles Parastatas, contumeliam
talem silentio suo comprobasse, & ne semel quidem adversa-

1232
rios ob eam reprehendisse. Præterea ut solent, qui occultandæ veritatis gratiâ, suis indulgent Somniis, se ipsos sæpius jugulare, ita & hic in allegandis originibus, quæ Historicis JOHANNAM fœminam, comminiscendi ansam suppeditarunt, alter alterum destruit. Etenim famam, quam à fœmina Constantinopolitana profectam, hoc loco BARONIUS putat; alibi, np. in Annal. ad An. Ch. 879. à Papâ Romano, JOANNE [qui ob animi mollietatem à Photio Eunucho & Semiviro (cui pro pœnis præmia persolverit) victus, & pro Papa Papissa, pro viro fœmina, hinc nuncupatus sit] ortum traxisse, conjectat. Diversam iterum ab his, JOANNÆ Originem, ONUPHRIUS pandit, dum ad JOANNEM XII. recurrens, dicit hunc aliquot Concubinas aluisse, inq; his præcipuè JOANNAM quandam, cujus arbitrio cum fortè omnia Romæ pependissent, fabulam inde JOANNÆ fœminæ promanasse. Nec quiescit his LEO ALLATIUS *Comment de Johan.* sed novam fingens, à Moguntiaca quâdam muliere *Thiotâ*, quæ se novam Prophetissam vocârit, fabulam prognatam esse tradit. Miror, cur AVENTINÛS (ad quem tamen in hac Historia ut plurimum provocant) rationem omnes hic reticeant, qui L. 4. Annal. Bojor. p. 285. ab Alberti Hetruriæ Regis socru, *Theodorâ* quæ Romæ aliquandiu imperârit & JOANNEM IX. Amatorem suum, Sacerdotem summum creavit, fabellam deducit; forsitan quia ipsis non est ad Palatum, à Scortis aliquando Papas esse electos.

§. XVIII. Alterum Antagonistarum nostrorum Argumentum, quo tanquam invento hecatombe digno gloriantur, à testimonio negativo & Silentio quorundam, Scriptorum desumptum. Densam enim ex *Ramundo* hic tacentium Scriptorum nubem allegant, utpote *Rabanum, Theophan. Freculphum, Diacorum, Milonem, Passeratium, Almanum, Haimonem, Gildum, Burgardum, Dorcestrium, Nectum Adulphum, Erigenam, Alphredum, Asserinum, Nicum, Ultramum, Honorium, Hincmarum, Hermannum Contractum, Vincentium, Albericum, Florentinum, Neugiacum* & quamplures alios, qui omnes JOANNAM silentio involvant, nec verbulo eam attingant. Verum enim vero, ut taceam allegatos Scriptores, (in quorum fidem jam non inquiram) de JOANNA agendi non habuisse occasionem, quantum in Historicis

1243.
storicis sit deferendum Argumentis ab Authoritate humana negativè procedentibus, vel ex hac collectione liquet, si quis historiam resuscitati à Christo Lazari, propterea, (quod *Matthæus, Marcus & Lucas* eam præterierint) fabulis annumerare vellet. Proinde allegati Autores omnes cum non contradicant, vel negent hanc de JOANNA Relationem, sed tantum reticeant, & omittant, Silentium sane illorum, non negat ipsum factum, sed potius, ex Regula juris vulgari (qui tacet consentire videtur) confirmat. Uti enim plus uni oculato creditur Testi, quam decem auritis; ita ipso *Bellarmino L. de Rom. Pontif. c. 8.* iudice, tribus affirmantibus, plus deferendum, quam mille nihil dicentibus, modo isti non negent quod alii affirmant.

§. XIX. Sed excipiunt hic, ANASTASIUM, in *vit. Pontif.* LUITPRANDUM in *vit. Pont.* MANIACUTIUM in *Catal. Rom. Pont.* ALBERTUM in *Chron.* HONORIUM in *ser. Pontif.* MATTHÆUM in *Chron.* aliosq; , ex professo seriem Pontificum texere, nec ullum iuter LEONEM IV. & BENEDICTUM III. JOANNÆ locum relinquere. Verum ex *Zonarâ Tom. 3.* ipsoq; BARONIO ad Ann. C. 794. aliisq; liquet, quam plures Pontifices, qui thronum vel illegitimè conscenderunt, vel indignè occuparunt, ex Catalogo Pontificum erasos esse, quid itaq; mirum videtur, & mulierculæ hujus Nomen expunctum fuisse. Quando igitur Scriptores, suppeditata etiam occasione, JOHANNAM nostram nihilominus præterierunt, non factum, propterea, quod JOANNA Pseudo-Papa inter *Leonem & Benedictum* nulla intercesserit, sed quia Subjectum Papale inconueniens fuit, hincq; prout SIGEBERTUS *loc. cit.* loquitur: nec NOMINE numerum, inter Papas, facere potuit. Nam licet cum sexu & Papam simularit, non tamen magis verè Papa, quam verè vir fuit. Eandem cum *Sigeberto* rationem & MARTINUS *Polonus c. 2.* dat, quando inquit: *nec ideo ponitur in Catalogo Pontificum, tam propter mulieris-sexum, quam propter deformitatem facti*: Idem confirmat, & FRANCISCUS PETRACHA, in *Chron. An. 1478.* Florentiæ excuso: *Anno 855. JOANNES Anglicus tenuit Pontificatum annos duos, menses quinque, dies quatuor. Vacavit Ecclesia mensem unum.* Iste non ponitur in Cata-

1234

logo *Paparam*, *QVIA FUIT FOEMINA*. Nec dissentit
 TRITHEMIUS quando in cit. Chron. Hirtsaug: post alia, de JO-
 ANNA hæc subnectit. *ferunt, eam à familiari quodam suo com-
 pressam peperisse in strato publico, Et ob id nonnulli eam
 inter Pontifices ponere noluerunt, quasi indi-
 gnum facinus abhorrentes.* Imo ipse ONUPHRIUS
 Adversarius noster acerrimus, seipsum jugulans, Objectionem al-
 legatam hæc solvit: *Et si JOHANNES fœmina Papa
 quam profitetur fuisset, NOTAMEN NUMERI
 NOTAM HABERE DEBUISSET, sacri ordinis non
 capax.*

§. XX. Instant, multos tamen non modo JOANNAM
 præterjisse; sed & plurima annotasse, quæ eam excludi videan-
 tur; videlicet, *Anastasiu*, quem *Guilelmus & Luitprandus* secuti,
 LEONE è vivis subtracto, mox BENEDICTUM electum al-
 seruisse; item *Adonem*, viennensis Ecclesiæ Archiepiscopum, BE-
 NEDICTUM, Leonis substitutum vocasse; sic *Lupum Ferrar-
 ium*, LEONEN, *Benedicti* Prædecessorem; *Flodoardum* vero,
 nec non *Hugonem Floriacensem*, *Conradum à Lichtenaw* & Con-
 cilium *Tullense*, BENEDICTUM, Leonis Successorem, appellas-
 se. Sed in antecessum hic monemus, pleraq; hæc scripta, non nisi
 per manus Jesuitarum & fidem Græcam Romanensium post
 Reformationis tempus & susceptum purgandæ Sedis Romanæ
 Consilium, ad nos pervenisse: Jam omnibus notum cum sit,
 quàm perfidè & nefariè veterum scripta depravarint, augendo
 minuendo & eradendo, quod sibi adversum visum, quis dubitabit
 eos idem fecisse, in dignitate Pontificiâ, & ab hæc infamia pur-
 ganda. Sane de ANASTASIO res certa est, quædã enim Exemplaria
 manu exarata JOANNAM habere, fatetur ipse *Blondellus* in *Avan-
 xis* p. 47. & 48. & inter alios supra laudatus *Marcius* *αὐτοψία*
 propria comprobatur his verbis, quædo inquit, *Cũ essem LUTETIÆ, vir
 Illustris*

1235.

Illustris CLAUDIUS à SARRAVIA, Senator dum viveret in Curia Parisiensi, utut BLONDELLO amicissimus, me pro sua humanitate deducens in Bibliothecam regiam, curavit mihi ostendi duo exemplaria Anastasii MSC. quorum alterum JOHANNÆ historiam continebat, alterum verò vetustius lacerum erat & mutilum, circa finem Leonis IV. unde colligebat, & recentem illius libri editionem, Anastasium procul dubio continuisse Papissæ historiam, licet deficientem in edito exemplari Moguntino, eamq; in Papalis Sedis gratiam in vetustissimis illis exemplaribus laceratam fuisse. Quod verò reliqua Exemplaria attinet; sanè omnia isthæc, quæ ab A. 1602. per Jesuitas edita sunt, non modò Baronio ipso teste, crebris ἀντιλογίαις scatent; sed & talia continent, quæ verbis ex Anastasio à Platina & Onuphrio citatis, prorsus non conveniunt; ut hinc longè verisimilius sit, historiam ex Anastasio erasam, quam ab eo non scriptam fuisse. De Adone incertum est, quousque Chronicon suum deduxerit; nam A. 871. in vivis esse desiit, & tamen Chronicon ejus ad A. 923. extensum, unde evidenter patet, recentioris ævi sacrificulum aliquem multa Adoni adjecisse. Et quicquid etiam de eo sit, fingamus omnia horum scripta, ad nos incorrupta pervenisse, ex omnibus tamen hisce testimoniis, aliud non colligetur, quàm Benedictum III. Leoni in ordine Paparum successisse. Jam cum Joanna, per errorem & fraudem introducta, δόξασικῶς & æquivocè saltem adeoque non verè Papa sed Papissa, Fœmina non vir fuerit, Benedictus etiam nemini alii verò Papæ quàm Leoni succedere potuit. Nam quemadmodum Saulem aliquando inter Prophetas, pro vero Propheta & PseudoSmerden inter Persarum Reges, pro vero rege nemo habuit; ita hunc anserè inter Olores, cygneos sonos retulisse, quis affirmabit? Adhæc Titulus PRÆDECESSORIS vel SUCCESSORIS, non semper immediatam successionem vel præcessionem infert, cum Pueris notum, quod Roma quemlibet Papam Petri Successorem vocet, nec solummodò proximos sed plerumque disjunctissimos nomine PRÆDECESSORIS honoret.

§. XXI. Porro oblatrant, Leonem IX. Papam in *Epistola* ad Patriarcham Constantinopolitanum Ann. 1053. data, non ausum fuisse Patriarchæ, ignominiam de Fœmina in Patriarcham eventâ objicere, si majori infamiâ id in Romana Ecclesia fuisset perpetrata-

1236
petratum, imò PHOTIUM, Romanæ Sedis hostem infensissimum
aliosqve Scriptores Græcos *Metropolitanum, Smyrnam, Stylianum*
cum cæteris, qui illius partes secuti erant, pudendum hoc mon-
strum non dissimulasse, sed sine dubio Papis exprobrasse: Ast, præ-
terquam quod ejusmodi Epistolæ Pontificum, in propriâ causa
quæ allegantur, plerumqve supposititiæ sint, nec fidem merean-
tur, PAPA LEO IX. id quod suæ Sedi optimè noverat contigisse
per vafriciem quandam Politicam, *Constantinopolitana* imputasse
videtur Ecclesiæ, instar furis in foro furem primùm proclamantis,
vel etiam instar meretricis cujusdam, cum honestâ fœminâ rixan-
tis, quæ ut eludat, quod sibi objici posse novit, in antecessum alteri
Scortationes & meretricias artes objicit, quarum tamen ipsa sibi
benè conscia est. Adhæc si responsum Patriarchæ extaret, quis du-
bitat, *LEONEM* in luscum cœcum, à *Michaële* non fuisse castiga-
tum. Quod verò *Photius*, & ab hujus partibus qui stabant, pro-
brum hoc Romanis non objecerint, factum quod per errorem fœ-
mina ad Papatum promotâ fuerit, cum tamen ipse *Photius* palàm
EUNUCHUS, ex laico Patriarcha factus esset. Imò PHOTII & reliquo-
rum scripta, cum pleraqve fidei Græcæ Jesuitarum accepta feren-
da, meritò de *authenticâ* eorundem dubitamus. Et quicquid etiam
de eo sit, licet etiam hi in scriptis suis mentionem *Joannæ* non fe-
cissent, nihilominus tñ. extra dubitationis aleam ponendum esset,
tot historicorum per tot secula continuatorum
consensui, magis credendum, quam paucorum
nihil dicentium simulationi.

§. XXII. Ultimò tandem, & ad Examen testimoniorum
nostrorum, Antagonistæ nostri progrediuntur, & per discrepan-
tes quasdam *Nominis, Patriæ, Ordinis & Temporis* circumstantias,
plus quàm trecentorum ante tempora B. Lutheri Scriptorum, sen-
tentiam de JOANNÆ SACERDOTIO, evertere conantur. Etenim
primò clamant, *Joannam* à multis *Anglicam*, ab aliis verò *Mogun-
tinam* dici; Nonnullos eam, *Joannam*, alios *Gilbertam*, mox ite-
rum *Agnetem* imò *Juttam, Dorotheam, Margaritam & Isabellam*
vocasse. Testes nostros etiam disfidere in numero, & tempore,
dum

1237
dum alii eam VIIimum, alii VIIIvum, alii IXnum hujus Nominis
faciant Papam; item alios Papatum ejus referre ad An. Chr. 851.
vel etiam 852. plurimos ad A. 853. nonnullos ad 857. nonnullos ad
A. 883. Sic alios velle JOHANNAM in throno Apostolico sedisse,
annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor: alios verò tan-
tum anno uno, mense uno, & diebus 4. alios verò iterum annis
duobus, totidem mensibus & quatuor diebus. Alii duobus annis
cum dimidio; duobus tantum mensibus alii: Alii verò tantum
quatuor mensibus? &c. &c. &c. Verum enim verò, quàm elumbes
hæ sint rationes, ex dicendis patebit. Nam præterquam quod Ad-
versarii hic primò discrepantes opiniones sibi fingant, ubi non
sunt, Recentiores supposititios scriptores cum antiquis proba-
tæ fidei historicis permutent, codices corruptos pro genuinis
venditent, imò joco dicta, seriis permisceant, adeoque crimen falsi
(quod ad oculum prolixis exemplis demonstrare possemus, nisi
chartæ angustia, Disputationi huic destinata id prohiberet) in-
currant; Concesso: in circumstantiis quibusdam recensendis Au-
tores variare; numne propterea tota Historia in fabulam redigi
poterit? Nequaquam. Nam cum OMNIBUS de RE constet, OMNES-
QUE in capite causæ conveniant, proinde ut in ore plurium, omne
stat verbum; ita si ob leves discrepantias in circumstantiis, alicui
historiæ, in qua recensenda Scriptores omnes quoad Substantiam
Rei conveniunt, fides esset deroganda, nihil certè in universâ Hi-
storiâ, tam profana, quàm ecclesiastica verum & constans mane-
bit. Nam in confesso est, Historicos non semper, uno & eodem mo-
do, res gestas quoad omnes circumstantias recensere, sed plerum-
que ita tractare, ut alter hanc alter illam referat, & immisceat, ita
ut nullus fermè Historicorum veterum reperiri possit, qui in cir-
cumstantiarum relatione non interdum cum aliis ullo modo com-
mitti queat; si igitur propterea rerum fides periret, omnium pro-
fectò Historiarum certitudinem, hæc arte eludere atque rejicere
possemus.

§. XXIII. Neque tamen (ut in specie ad singula quoque
progrediamur) adeò repugnat, nostram *Anglicam* creditam, &
Moguntie natam fuisse; nam potuit, vel ex Parentibus *Anglis*, MO-
GUNTIE nasci; vel *Moguntia* habitu dissimulato, cum *Amasio*
D fortè

1738
fortè Anglo peregrinatam fuisse in Angliam, atque abhinc in Græciam, unde redux, Anglicam aut seipsam vocârit, aut ab aliis ita appellata fuerit, vel etiam prout ex *Fasciculo temporum*, FRANC. JUNIUS, *Contr. 3. L. 3. c. ult.* colligit: Anglica dici potuit Cognomine, quæ natione tamen fuit *Moguntina*. Et quid tum? licet etiam de natali JOHANNÆ PAPISSÆ Solo, non minor quàm olim de Homeri patria lis esset, ejus existentia propterea nihil decederet. CONSTANTINUM M. *Baronius* in Britannia, alii *Tharsi*, quæ in *Bithynia* est, plurimi *Naisi*, Daciae oppido, natum volunt, ergone propter hanc disconvenientiam, in rerum natura fuisse negandus erit. Sic CAROLUM M. *Bodinus* in Gallia, *Aventinus* in Bojoaria Carlsburgi, *Crantzius* & alii, Ingelheimii, vico propter Moguntiam in Francia sito, genitum contendunt, quis verò propterea *Carolus M.* extitisse inficiabitur?

§. XXIV. Idem & de *Nominis* quoque diversitate sentiendum. Nam quocunqve etiam nomine nostra fuerit appellata, propterea tamen figmentis annumeranda haut erit. *Catharinam Alexandrinam*, nonnulli *Dorotheam*, alii *Hecaterinam*, alii aliter vocant, nemo tamen Pontificiorum propterea eam vixisse negat. Interim ex superfluo varias hujus denominationis conjecturas suppeditare possumus, quarum una est, quod Nostra GILBERTA forsan baptizata, ubi sexum mentiri cœpit, Joannem se vocârit, pro quo fraude detectâ, JOANNÆ nomen retinuerit, quod ipsum ex mente Cl. MARESI in *Tract. de Job. Papiss.* ex Battavorum JANCKE aut *Italico*, JANNETTA vel Gallico JANNETTE in *Agnete* Nomen degenerârit; quanquam alii ultimum hoc ex joco, quo nonnulli sarcasticè,

[E. gr. Mulier Agnes fit Papa JOHANNES.
Meretrix illa AGNES & JOHANNES.
Johannes Octavus regnat,
Ecce regnat MULIER MOGUNTINA
Illa Papatum Orbis designat.
En Meretrix pessima Romana.
Meretrix illa maxima Mundi.
Meretrix Regum revelanda.]
si illuserunt, pro manasse velint. Reliqua verò *Isabella, Margaretha,*

1239

tha, & Dorothea vel *Tutta* Nomina, cum nemini Nostratum hac-
tenus innotuerint, non sine mendacio turpissimo Joannæ & Scri-
ptorum relationi affinguntur.

§. XXV. Multominus tandem ordinis vel temporis dissi-
dium Historiæ nostræ veritatem enervare potest; quis enim nescit,
Autores in enumerandis Papis, multifariam inter se discrepare, &
ipsum LEONEM, Joannæ Prædecessorem à nonnullis quintum, ab
aliis verò quartum hujus Nominis dici; quis ignorat, eundem Leo-
nem, *Florentino* esse Papam in ordine centesimum secundum, *Con-
rado à Lichtenaw* CIIIum, *HERMANNO Contracto* verò CVtum.
Præterea *Honorius Augustodunensis*, eidem LEONI, annos hierar-
chiæ suæ Papalis octo, menses tres, dies 6. *Hermannus* verò 9. Ann.
3. m. 6. d. assignat. Imò quamplurimi Pontifices sunt, de quorum
tempore, numero & ordine multo incertiora feruntur, nemo ta-
men sanus propterea eos negat fuisse in rerum natura; Nam si ea
omnia falsa judicare velimus, quorum Chronologiam unanimi
consensu omnium Historicorum comprobata non habemus, ni-
hil ferè certi in universâ Historiâ, retinebimus. Vidit hoc ipsum
ex ipsis nostris Adversariis *BELLARMINUS* L. 2. de Rom. Pontif. c. 5.
qui discordiam temporis suam, de Petro non infirmare posse sen-
tentiam dum probare annittitur, recensitæ objectioni his occurrit
verbis: *Sapè constat de RE: sed non de modo, vel alia circumstan-
tiâ. Nam constat Christum esse mortuum in cruce pro nobis, & de
anno & mense quo passus est, magna est discordia. Sic de Septimaniis
Danielis, de Annis Regum Persarum, Samuelis, &c. nonnullorum
Principum Judæorum, Imperatorum & Romanorum Pontificum ma-
gna opinionum varietas est, & tamen de rebus constat. Accipiant igitur
Antagonistæ nostri hoc responsum, & Johannam Papissam
suo ordini restituant.*

§. XXVI. Neque præterea nostram de Joannæ existentia
assertionem (prout Adversarii nugantur) evertit, quod Autores
nonnulli rem hanc timidè & dubitanter (per *ajunt, fama est, fer-
tur, asferitur, dicitur* &c. describant. Nam, quod alii timidius, alii
liberius & apertius, alii brevius, alii prolixius Historiâ hanc literarū
monumentis consignârint, temporibus quibus vixerunt, est tribu-
endum. Nam prout magis vel minus offensam Pontificis veriti
D 2 sunt,

1290
sunt, pro eo etiam se accommodarunt, & dubitanter interdum ac
timidiusculè (ne scil. suos directè affirmando offenderent) sunt
locuti, ita tamen ut in capite & cardine Rei gestæ summa omnium
consentiens affirmatio fuerit. Neque illud fertur, scribitur, asseri-
tur, perpetuò dubitantis; sed & interdum rem novam inauditam
& prodigiosam admirantis & abominantis vox est. Imò si aliqui
studiò rem dubiam reliquerunt, eo ipso indicare, tantum vo-
luerunt, quàm libenter foedam maculam & labem Romanæ Eccle-
siæ sepultam deletamque optarent, eamque cum *Platina*, præteri-
re mallerent, nisi officio fidelis historici, ad rem prout gesta est con-
scribendam adstricti essent.

§. XXVII. Ejusdem farinae & explicationes sunt, quibus
cum *Onupbrio*, Jesuitæ testimonia supra adducta eludere conan-
tur, eo quod credibile non sit, foeminam ad tantam eruditionem
pervenire potuisse; multominus verisimile appareat, eam è *Germa-
nia* in *Græciam*, *Mognntiaco Athenas*, studiorum causa profectam
fuisse, cum insuper *Athenis*, tunc nulla literarum studia viguerint,
quin potius foeda barbarie omnia oppressa fuerint. Sed uti exem-
pla varia mulierum, quæ ad stupendam eruditionem, non modò
supra suum sed & masculinum sexum conscenderunt, passim pro-
stant; ita easdem foeminas sapissimè assumpta virili veste, longin-
quas peregrinationes suscepisse, & hodiè *CHRISTINA*, *Sveciæ Regi-
na* confirmabit. *Nonne*, inquit *Blondellus* jam sæpè cit. tract. *cum
Iconio Antiochiam usque Paulum comitari, eundem Antiochia, My-
ram usque affectari* *ὡς τὸ ἀνδρικότρον μεταμπαχορδῶν* *Thecla*
cum laude potuerit, & Melania παιδαγῆ καρακάλιον λαμβάνουσα
*Confessoribus Ægyptiis, quos vestigiis in Palestinam usque secuta fue-
rat, necessaria subministraverit.* Quod enim in priscis Christianis
mirabunda Roma celebravit, cur *Seculi IX.* hominibus vitio verte-
ret? Et posito, *Athenis* tunc *Seculo IX.* non ita ut antea studia
floruisse, sufficit, quod ibi tamen fuerint *Gymnasia* adhuc, quodque
ibidem usus *Lingvæ Græcæ*, (quod solum sufficere poterat, ad eo
traducendā mentē curiosam literarū cupidam) viguerint. Atque hoc
iterum est, quod *Blondellus* nobis largitur, in hæc verba erumpens:
*fac literarum splendorem tunc temporis tota Græcia deliquium pas-
sum esse, quid Latinum hominem, addiscenda saltē lingvæ spe, in*
Ori-

Orientem proficisci vetuisset? Quis vel Gracè locutos Athenienses, vel Graci Sermonis studio, Occidentales aliquot teneri olim potuisse negaverit prudens?

§. XXVIII. Neq; est, ut instent, fieri non potuisse, quin (inter tot familiares & domesticos, aulicos & consiliarios, rogatores & interventores,) ab aliquibus agnita fuerit? præsertim cum ante partum uterum tumescentem præ se tulerit, totq; molestiis quæ partus præmittere solet circumventa fuerit. Nam per aliquot secula cum Mos in Italia (ex constitutione quasi concilii carthaginensis quarti Clerici neq; Comam neq; Barbam nutriant) obtinuerit, ut Clerici omnes menta raderent, factum ut difficulter foemina à viro dignosci & discerni potuerit. Apparet id, vel ex Iconibus & Imaginibus Pontificum apud *Platinam* (ex emendatione *Onuphrii* singulorum vitis quæ præfiguntur) quorum sane plurimi, toto vultu ita rasi deprehenduntur, ut faciem plane muliebrem referant. Adde quod & viri imberbes, & mulieres etiam pilosæ quotidie occurrant, unde *Semiramidem*, *Joannam Arquensem*, aliasq; multas foeminas gravidas etiam, sexu mentito, integra Regna decepisse, in propatulo est. Agnovit hoc iterum adversæ partis advocatus *Blondellus* quando Clientum suorum dubium hoc ratiocinio solvit: *si tantâ curâ sexum dissimulavit Eugenia, ut oblata MELANTHIE stupri culpam sustinere cogeretur: si MARINA vitata in pandochæo virginis, à PANDOCHO rea peracta, in penitentia ad mortem usq; jacuit: si EUPHROSYNES PELAGIÆ muliebritas oculorum omnium, etiam paternorum aciem, vix in morte agnita effugit: si THEODORA adulterini pusionis pater credita, alieno crimini succumbere maluit, quam secretum prodere:* Quidni Moguntina mulier, Germanis suis, imò Romanis, habitu mutato imponere potuerit. Quod additur à *SERARIO* Jesuitâ, eam ex hypothese nostra, tanquam Eruditam foeminam, physicam quoq; calluisse, hincq; cum tempus partus haut ignorarit, publicam ignominiam præcavere potuisse: ridiculum sane est; Quis enim Physicorum, momentum præcisè vel horam, quam Natura partui tribuit, præscire aut certò determinare potest? cum quotidiana experientia, multas mulieres profus imparatas, aliò sæpe intentas, imò uteri propemodum oblitatas,

122
partitudinem occupare, abunde testetur. Accedit justo Dei iudicio
(cui sane nulla ratio, nullum Consilium, nullum Medicamentum
quo ex mente SERARII, partus abiguntur, resistere possunt) purpu-
ratam hanc Meretricem & confusam, & Orbi universo manifesta-
tam fuisse, quo eo magis Adoratores ejusmodi Pontificiæ Ma-
jestatis in ruborem conjicerentur.

§. XXIX. Deniq; missis his, se conferunt ad monumenta
supra allegata, atq; ut primò statuam parientis Pontificis eludant,
eum *Bellarmino* conjiciunt: statuam fuisse alicujus ethnici Sacer-
dotis, parati ad sacrificandum, quem famulus (pulsio) præcesserit.
Sed de eo si Populo Romano constitit; Si statua isthæ monu-
mentum probri pontificii indubitatum non fuit, cur eam sup-
presserunt? cur sustulerunt? Sane, aliam causam non habue-
runt, nisi quod Joannæ Pontificulæ memoriam deletam voluerint.
Rectissimè hinc *Franc. Junius* Adversarios nostros his alloquitur
verbis: *Sublatio ista à vobis facta, nobis est confessio, quod isthæ sta-
tua, fœminæ vestræ fuerit. Ejusdem furfuris Commentum, & ratio
declinatæ viæ est, quâ cum Onuphrio reliqui omnes clamant: Quod
Lateranum Papa illâc non pergat, eam non esse causam (ac si ob de-
testatione facti hoc faciat:) sed quia per medium Amphitheatrum,
cui via illa correspondet, ob loci angustiam magna hominum &
Equorum manu comitatus transire nequeat. Nam ex Peregrinorum
& Indigenarum (qui utramq; viam explorarunt) relatione, cum
sat innotuerit hætenus, Plateam istam, quâ hodie per varios an-
fractus prolixius Processionis Iter Papa facit, priori non esse la-
torem sed breviorē, & incommodiorem, quis sibi imaginabi-
tur, Pontificem etiamnum hodie in Processionibus per ejusmodi
anfractus oberrantem, aliam ob causam incommodiore hæc via
procedere, quàm ut memoriam infamis JOHANNÆ suppressere
gestiat. Apposite iterum *Blondellus* in scripto Gallico p. 107. in-
quit: *Quamvis dicatur SIXTUM V. illam (Plateam nempe in qua
Veteres pertendebant scandalosum puerperium suæ contigisse Jo-
annæ) dirui curasse, ut dilataretur & recta fieret, attamen qui ex
peregrinis & Indigenis Romanis considerabunt Pompam papalem, sive
processionem, etiamnum hodie perseverare in transeundo per aliam
Plateam, quæ nec latior est, & Iter Processionis prolixius facit, non
poterunt**

poterunt sibi imaginari quod per hos anfractus procedat, alia de causa quam in memoriam, infamis accidentis sue Johanna.

1743.
§. XXX. Neq; ultimo Bellarminus L. 3. de R. P. c. 24. se rite expedit à difficultate, quâ sedes perforatas in Laterano, vel ipso Conclavi Paparum Sexui probando destinatas fuisse supra probatum est; quando easdem ad humanæ Conditionis & Infirmittatis admonitionem adhibitas esse fingit. Verba ejus sunt hæc: *Ut ex L. 1. Sacr. Cerem. Sect. 2. constat, tres erant sedes lapideæ in Lateranensi Basilicâ, in quibus novus Pontifex sedebat tempore sue Coronationis. Prima sedes erat ante Ingressum in templum, eaq; vilis & abjecta; ad quam sedem novus Pontifex primum ducebatur, atq; in ea aliquantulum sedebat, ut per eam Ceremoniam significaretur, eum de loco humillimo ad locum summum ascendere; Inde enim eum elevantes, canebant illud 1. Reg. 2. Suscitavit de Pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus & Solium Gloriæ teneat. Et hæc est causa cur sedes ea stercoraria diceretur. Altera Sedes erat PORPHYRETICA in ipso Palatio; & ibi sedebat secundo in signum possessionis, atq; ibi sedens accipiebat claves Ecclesiæ & Palatii Lateranensis. Tertia sedes similis erat secunda nec procul ab ea, atq; vicina post paululum sedens tradebat easdem ei à quo ante acceperat; forte ut ea Ceremoniâ admoneretur mortis, per quam brevi, potestatem illam alteri traditurus esset. De sede ad explorandum sexum nulla usquam mentio. Sed, ut ὕστερον προτέρων faciamus, quod in Ceremoniali allegato, seu Pontificali hodierno, hujus explorationis nulla fiat mentio, id sane non probat, tale quid olim in usu non fuisse; Verum hoc tantum, quod tempore cum Liber ille scriberetur, ritus ille pudendus jam obsoleverit. Unde male persuasum Bellarminus habet, id quod hodie non fit, nec olim factum fuisse. Dein Bellarminus tres tantum h. l. commemorat sedes unam stercorariam & duas porphyreticas, cum in cit. Ceremoniali plures allegentur. Sed quicquid de Cæteris hisce stercoreis sedibus sit, sane ad perenne Papistæ monumentum pertinent illæ sedes PORPHYRETICÆ PERFORATÆ, quibus in hunc diem novus Papa quando inauguratur, ex Ritu Veteri, (licet hodie sine exploratione virilitatis) insidet. Neq; enim hisce sedibus porphyreticis potuit imponi, ut Conditionis sue humanæ vel Necessi-*

1544
1676
cessitatum Naturæ, prout *Platina* vult, admoneretur: namque id ipsum in sede stercoraria jam paulò antè factum erat; multominus Sellas balneares (cum *Pigbio* aliisque) dicere poterimus porphyreticas illas sedes perforatas: Cui enim Bono inter sacras Reliquias Lateranenses repositæ essent? Cur Sellæ ejusmodi balneares Inaugurationi Papæ, quæ in Possessionem Pontificiæ suæ dignitatis claves accipit Regni cœlorum, destinatæ fuissent? Certè, non ob usum balnearem, multominus Pontificales, (sit venia verbo!) excretiones, Tempori & sacris locis prorsus inconuenientes. Ergò utique aliud quid *μυστηριώδες* hic latet, nempe hoc, quod ex probatæ fidei antiquissimis historicis antea eruimus: **CONTRECTATIONI** (sc. quamdiu

*Non poterat quisquam referentes athera Claves,
Non exploratis sumere testiculis.)*

Sedes illas Porphyreticas perforatas inserviisse. Nec improbable est, binas vel tres etiam ad id primitus destinatas fuisse Sellas, quo eo certius per duos vel tres, in quorum ore stat omne verbum, distinctos homines, in duabus vel tribus distinctis Sellis, res hæc exploraretur. Causa verò, ob quam & hæc consuetudo desierit, alia iterum non fuit, nisi quod Lenones & Parasiti Romanæ Curiæ dubiam & suspectam Historiam hanc Posteritati reddere allaborârunt. Cui rationi addi posset & lepidum responsum Joannis Pannonii Episcopi sæpiùs suprâ laudati, Interrogationem

Cur igitur nostro mos hic jam tempore cessat?
facete h. m. perstringentis:

Ante probat quod se quilibet esse marem.

Quod confirmat exemplo Pauli 2di, sic porrò ludens:

Pontificis Pauli testes ne Roma requiras;

Filia quam genuit sat docet esse marem.

Sanctum non possum, Patrem te dicere possum,

Cum video natam, Paule secunde, tuam.

Sed manum de tabula, eum hæc Tractationi Historiæ de JOANNA PÆISSA, quam suscepimus, sufficiant. DEO TRINUNI, à quo ultimam magni illius Scorti, cujus fronti *Mysterium* inscriptum, Eversionem expectamus, sit Laus, honor, atq; Gratiarum actio, in seculis nunquam terminandis. AMEN.

107

Q.K. 419,17.


Int
JOH

DIS.
In

DN. M

LUDOV

Typ



ii
1676

Opera
VIII.

ORICA
UM
ademia

Lehmann/
to,

Heimbürger/

LXIX.

d. Typogr.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)

ii

76

